

beneficium per mortem : nam quando falsitas est expressa non causa demonstrationis, sed causa taxationis gratiæ, tunc ista vitatur, licet etiam cognita veritate eam Papa concessisset : quia natura dictionis taxativæ est, ponere quod affirmat, et præter id quod ponit, omne aliud excludere.

170. *Rescriptum subreptitium, an ipso jure sit nullum, vel dumtaxat ope exceptionis?* — Quæritur IV. Utrum rescriptum subreptitium ipso jure sit nullum, vel dumtaxat ope exceptionis? Resp. Rescriptum gratiæ, et ad beneficia, per subreptionem obtentum, est ipso jure nullum; ac proinde, quidquid prætextu illius factum fuit, nullius prorsus est momenti. Secus est in rescriptis justitiæ, seu ad lites; nam hæc per subreptionem, etiam dolosam, regulariter non vitantur ipso jure, sed dumtaxat ope exceptionis; ac proinde processus virtute illorum factus, validus est, nisi adversarius, contra quem impetrata sunt, de subreptione ipsorum excipiat. Ita Abbas, loc. cit. n. 5, et in c. *Cæterum*, n. 6, et amplius c. *Ad audientiam*, 34, n. 5, et 8, et ibi Felinus n. 17, de *Rescriptis*; Sanchez, lib. VIII. de *Matrim.*, disp. 21, n. 3; Menochius, de *Arbitrar. judic.*, cas. 201, nu. 2, et 3. Vantius de *Nullitat. ex defectu jurisdict.* n. 60; Saccacia, de *Judic.* lib. 1, cap. LXIV; Fagnanus in cit. c. *Super litteris*, n. 22, h. t. citans Innocentium, Bellameram, Butrium, et communem opinionem.

171. *Rescriptum gratiæ, et ad beneficia, per subreptionem obtentum, est ipso jure nullum.* — Prima pars, seu quod rescripta gratiosa, et beneficialia, per subreptionem ipso jure vitentur, desumitur ex cap. ult. de *Filiis presbyt.* in 6, ibi : « Talis dispensatio, veluti per subreptionem obtenta, nullius penitus est momenti. » Qui textus ab universis doctoribus ad quaslibet litteras, gratiam vel dispensationem continentes extenditur. Concordat c. *Ad audientiam*, 31, et c. *Constitutus*, 49, h. t. et adhuc clarius Clem. 1, de *Præbenid.* ubi loquendo de litteris gratiosis super dignitate obtentis, non habita mentione necessario exprimentorum, dicitur : « Gratia hujusmodi, velut subreptitia, nullius penitus est momenti. »

172. *Rescriptum justitiæ contra per subreptionem etiam dolosam, non vitatur ipso jure, sed dumtaxat ope exceptionis.* — Altera vero pars, nempe quod rescripta justitiæ per ipso jure, sed dumtaxat ope exceptionis : subreptionem, etiam dolosam, non vitentur,

probatur ex c. *Si autem*, 9, et c. *Plerumque*, 23, h. t. ubi potest quis conveniri auctoritate posterioris rescripti per adversarium obtenti, licet de primo non faciat mentionem, quando primus impetrans isto neglexit uti per annum : nam hoc fieri non posset, si posterius rescriptum ita subreptitio impetratum, ipso jure fuisset nullum, juxta dicta n. 92. Ubi etiam alia hujus ratio redditur : quia nempe, quando adversarius de subreptione non excipit, tunc judex procedit de communi partium consensu, sicque valet processus.

173. *Et ratio disparitatis inter hæc rescripta.* — Confirmatur utraque pars, assignando disparitatem inter rescripta gratiæ, et justitiæ. Imprimis enim in rescriptis gratiæ, et ad beneficia, negotium illico terminatur, et acquiritur jus impetranti : contra vero in rescriptis justitiæ, seu ad lites, fit tantum preparatio ad causam, ipsumque negotium expediendum; dum hujus cognitio certis iudicibus delegatis committitur, jus vero per ipsam nullum tribuitur impetranti : cum igitur priores sint majoris præjudicii, merito per subreptionem citius, atque ipso jure vitantur, et invalidantur. Deinde hæc ipsa de causa facilius solent concedi, et acquiri rescripta justitiæ, quam gratiæ : unde nec mirum, quod litteras gratiosas, cum sint difficilius impetrationis majorisque præjudicii, facilius inficiat subreptio, quam litteras ad lites. Tandem, ut argumentatur Fagnanus in c. *Ad audientiam*, il. 2, n. 37, h. t. in litteris gratiosis non est pars, quæ possit excipere de subreptione; unde cessante provisione hominis, necesse fuit, ut lex ipsa provideret, ipso jure hujusmodi rescripta subreptitio obtenta irritando, et cassando : at vero in rescriptis justitiæ adest pars, cujus interest, quæ potest opponere exceptionem subreptionis; et si hoc non fecerit, censetur in tale rescriptum, ac datum per illum iudicem, ultro consensisse; unde valebit processus virtute illius per iudicem delegatum factus, nisi contra hujusmodi rescriptum ab adversa parte excipiat.

§ VIII.

ALIA DUBIA CIRCA SUBREPTIONEM RESCRIPTORUM SOLVUNTUR.

174. *Subreptio non dolosa, sed per ignorantiam, vel simplicitatem contingens in una parte rescripti, plures partes habentis, non vitatur.*

§ VIII. ALIA DUBIA CIRCA SUBREPTIONEM RESCRIPTORUM SOLVUNTUR. 247

totum. — Quæritur ulterius. I. Utrum subreptio contingens in una parte rescripti, habentis plures partes, sive capitula, vitet totum. Resp. I. Quando subreptio ejusmodi non fiat dolosa, sed per ignorantiam, vel simplicitatem commissa, non vitatur totum, sed illa dumtaxat pars, cujus fuit causa, quæque alias per principem non fuisset concessa. Ita Abbas in c. *Super litteris*, n. 2, et ibi Fagnanus, n. 24, h. t. qui id probant ex c. *Si eo tempore*, 9, eod. in 6. quod procedere aiunt, quando subreptio non fuit dolosa. Idem, et clarius, probatur ex cit. c. *Super litteris*, ac regula secunda exinde deducta, de quibus supra, n. 158 et 159. Unde præsens conclusio est communis inter doctores, quam Pirhing, h. t. n. 98, extendit ad subreptionem non dolosam, factam ex ignorantia etiam crassa, modo non sit ingens temeritas.

175. *Secus dicendum de subreptione dolosa, quæ probabilius vitat totum.* — Resp. II. Quando subreptio per dolum, vel malitiam facta fuit in una parte rescripti plura capitula habentis, probabilius est vitari totum. Ita Abbas in cit. c. *Super litteris*, n. 2, et ibi Fagnanus, n. 18, et Barbosa, n. 4, h. t. et Engel eod. n. 11, cum aliis. Ratio est, quia de illis, qui per fraudem, vel malitiam supprimunt veritatem, vel exprimunt falsitatem, expresse statutum habetur sæpe cit. c. *Super litteris*, quod « in suæ perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequantur : » atque dictio illa *Nullum*, includit negationem universalem. Insuper tum loc. cit. tum in c. *Sedes apostolica*, eod. generatim statuitur, quod « mendax preceptor carere debeat penitus impetratis. » Ubi bene notanda venit dictio *Penitus*, utpote quæ est præcisa, nullamque limitationem admittens, l. *Ambiguitatem*, c. de *Usufructu*, atque idem importat, quod ly *Omnino*, *Ex toto*, *Penitus*. Barbosa, dictione 249, n. 3, citans alios, idque probans ex cap. 1. de *supplend. neglig. prelat.* in 6.

176. *Subreptio facilius vitat rescripta gratiæ, et ad beneficia, quam rescripta justitiæ; et cur?* — Et quia allegata jura loquuntur de rescriptis justitiæ, seu litteris contentiosis, fortius data conclusio procedit in rescriptis gratiæ, et ad beneficia : quia subreptio facilius vitat litteras gratiosas; prout argumentatur Abbas ibidem, estque superius n. 173, dictum, assignando multiplicem hujus rationem.

177. *Opposita sententia doctorum, volentium tunc non vitari totum rescriptum, refertur, ac probatur.* — Fatendum tamen non desse auctores, qui tenent oppositum, docentes, quod per subreptionem etiam dolosam solummodo vitietur capitulum illud, in quo ipsa contingit, non item aliud capitulum a priori separatum, ab eoque penitus independens; prout docet Sanchez lib. VIII, de *Matrim.* disp. 21, n. 70, citans Decium in c. *Super litteris*, notab. 1, n. 7, et Layman in d. c. *Super litteris*, n. 2, h. t. ac probabile censet Pirhing, h. t. n. 109. Rationem dant, tum quia in hujusmodi casu censetur esse duo veluti rescripta : unde vitato uno capitulo, non idcirco vitatur alterum, quod a priori separatum est, ac penitus independens : tum quia constitutio, relata in cit. c. *Super litteris*, est pœnalis, prout liquet ex illis verbis, « In suæ perversitatis pœnam; » ergo non debet extendi ab uno capitulo ad alterum, in quo nulla intervenit subreptio. Quinimo hic locum habebit regula 37 jur. in 6, dicens : « Utile non debet per inutile vitari. » Quod ipsum colligere licet ex c. *Si eo tempore*, h. t. in 6, ubi rescriptum tacita veritate impetratum ex parte valet, ac ex parte non valet. Nec juvat dicere textum illum loqui dumtaxat de subreptione per ignorantiam, vel simplicitatem commissa. Nam contra est; quia hoc dictum nullo jure probatur, sicque divinando, et ad libitum asseritur.

178. *Et amplius confirmatur.* — Confirmatur id ipsum a pari : nam, quando datur instrumentum alicujus notarii habens plura capitula, et in uno horum reperitur falsitas, tunc solent distinguere nonnulli doctores, quod aut capitula illa sunt inter se connexa, et reprobat in totum; aut sunt separata, et tunc non reprobat, nisi illud capitulum, quod est falsum; ut probat Glossa in can. *Si ad scripturas*, 7. *Quid in eis*, dist. 9, et ibi Archidiaconus, n. 3, citans Gofredum, et Joan. monachum. Idemque amplius probatur per textum in l. *Si ex falsis c. de Transact.* ubi transactio ex falsis instrumentis inita, si facta fuit de pluribus causis, sive capitulis, solummodo retractatur quoad illas causas, quæ ex falso instrumento composita sunt, aliis capitulis firmis manentibus : ergo hoc ipsum videtur dicendum in proposito, ubi rescriptum habet plura capitula prorsus diversa inter se, ac separata, et subreptio dolosa solummodo contingit circa unum capitulum.

179. *Solvuntur rationes hujus sententiæ :*

« Utile non debet per inutile vitari. » *Quomodo intelligendum.* — Verum insistendo nostræ conclusioni, veluti probabiliori, atque juribus magis conformi, respondetur ad allatas rationes. Et imprimis ad primam earum negatur assumptum: nam, ut supponitur, est unicum rescriptum, licet contineat plura capitula. Ad secundam neg. consequent. Quia loquendo de subreptione dolosa secus statuerunt jura, idque in pœnam perversitatis mendacis precatoris, juxta textus n. 161, allegatos: unde quia malitiis hominum non est indulgendum, neutiquam videtur recedendum a verbis legis adeo claris, atque indistincte loquentibus, in favorem mendacis precatoris. Ad tertiam patet per idem: nam allegata regula juris quoad hunc casum patitur expressam, et specialem exceptionem; idque ob rationes, et textus juris in oppositum allegatos. Glossa in c. *Pura*, 3, q. 9, dicens: « Utile per inutile vitatur, ubi id in jure reperitur expressum. » Engel. cit. n. 11 et alii. Ad quartam respondetur per idem: nam quod d. c. *Si eo tempore*, sit intelligendum de subreptione non dolosa, adeoque per ignorantiam, vel simplicitatem commissa, satis desumitur ex juribus num. 175, allegatis; ac proinde id non asseritur gratis, et mere divinando.

180. *Instrumentum notarii, in cujus uno capitulo reperitur falsitas, an reprobetur in totum, etiam quoad capitula separata. Quando testis quamdam falsitatem adjicit suo testimonio, dictum ejus reprobat in totum.* — Ad ultimum, sive ad confirmationem dicitur, allatam doctrinam, de instrumento quoad unum capitulum falso, communius ab aliis doctoribus relinqui. Unde cit. Glossa, §. *Quid in eis*, post relatas aliorum sententias, ac loquens ex mente propria, protinus subdit: « Ego dico, quod si aliquid falsitatis reperitur in instrumento, totum redditur suspectum, nec ei creditur, ut L. 2, in fin. ff. de Fide Instrum. » Idem tenent Archidiaconus, atque etiam Abbas l. l. c. c. quorum uterque allegat Innocentium; idque probatur exemplo testis: nam, quando testis quamdam falsitatem adjicit suo testimonio, dictum ejus reprobat in totum, quia reperitur perjurus, can. *Pura*, 3, q. 9. et amplius probat Glossa magna c. *In nostra*, 33, de *Testibus*. Atqui etiam notarius conficiens instrumentum, est quidam testis, l. *Domitius Labeo*. ff. de *Testament.* Unde ratio ultima militat in oppositum.

181. *Transactio ex falsis instrumentis inita solum retractatur quoad capitula, quæ inde composita sunt, non quoad alia.* — Nec urget, quod subjungitur ex l. *Si ex falsis*. Nam id procedit in casu speciali, transactionum videlicet, et pactionum inter privatos mutuo consensu initarum, quas proinde æquum est sustineri quoad illa capitula, quæ non ex falso instrumento, sed ex mutuo dumtaxat paciscentium consensu processerunt. Secus dicendum, quando vel notarius in instrumento, vel supplicans in impetratione rescripti, commisit dolosam falsitatem circa substantialia negotii: nam tunc et ille fit perjurus, et iste censetur mendax precator, sicque corrumpit tam rescriptum, tum instrumentum in totum, quanquam si falsitas accideret circa non substantialia, vel extrinseca solum, quæ non faciunt ad negotium, illa non noceret. Abbas in c. *Fraternitatis*, n. 14, de *Hæretic.* citans Innocentium, et addens, idem esse in teste. Concordant illico dicenda de causa mere impulsiva; Unde

182. *An per subreptionem, quæ contingit circa causam non motivam, sed impulsivam tantum, vitentur rescripta.* — Queritur II. Utrum per subreptionem, quæ contingit circa causam non motivam, sed impulsivam tantum, vitentur rescripta? Ubi supponendum est, quod subreptio, sive per taciturnitatem veri, sive per falsi expressionem, possit contingere non solum circa causam motivam, seu principalem, ac finalem, sed etiam circa impulsivam.

183. *Causa motiva et impulsiva; quæ?* — Porro *causa* rescripti *motiva* (quam alio nomine primariam, principalem, et finalem appellant) est illa, qua non existente princeps rescriptum non concessisset, vel saltem non tam absolute, sed solum restricte, sive sub certis clausulis ac limitationibus. *Causa impulsiva*, sive secundaria dicitur ea, qua non existente princeps quidem rescriptum concessisset, sed non tam facile. Unde patet, quod prior causa conducat ad substantiam concessionis, posterior vero solum juvet ad modum concessionis, nempe ut facilius detur. Quod ipsum, sub aliis tamen verbis, tradit Abbas Panormit. in c. *Post translationem*, n. 18, de *Renuntiat.* dicens: « Causa finalis est, quæ ex toto et funditus animum movet disponentis, alias verisimiliter non facturum. Impulsiva vero, quæ impellit statuentem, qua cessante statuens adhuc erat statuturus. » Quando igitur vel tacetur

aliquid verum, vel exprimitur falsum, quo rite cognito princeps verisimiliter concessurus fuisset rescriptum, sed non tam cito ac facile, contingit subreptio circa causam impulsivam: si autem id nullo modo concessurus fuisset, aut non nisi sub certis restrictionibus, tunc committitur subreptio circa causam motivam, seu principalem. His prenotatis,

184. *Subreptio circa solam causam impulsivam, non vitiat rescriptum.* — Rep. I. Subreptio sive per taciturnitatem veri, sive per falsi expressionem, contingens circa solam causam impulsivam, non vitiat rescriptum. Ita Glossa in c. *Ex parte*, 14. §. *Falsa. de Convers. conjugat.* dicens inter alia, quod « non consideratur, quæ fuerit causa impulsiva. » Covarruvias, lib. I, *Variar. resolut.* c. xx, n. 5; Sanchez, lib. VIII, de *Matrim. disp.* 21, n. 11 et 32, id extendens ad dispensationes matrimoniales. Layman, lib. I, tract. IV, cap. xxii, num. 20, et c. *Super litteris*, n. 1, h. t.; Engel. tit. « de *Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.* » § 3, n. 9; Pirhing. h. t. n. 103, pluresque alii ab his relati; quamvis non pauci oppositum teneant, adeo ut Menochius, lib. II, de *Arbitrar. judic.*, cas. 201, n. 22, contrariam opinionem dicat magis esse receptam.

185. *Sive ea contingat per taciturnitatem veri.* — Prior pars, loquens de taciturnitate veri, quæ contingit circa causam dumtaxat impulsivam, probatur ex c. *Dudum*. 14, § *Nos igitur. de Præbend.* in 6, ubi valor cujusdam rescripti beneficialis, ex eo probatur, quia Papa illud cognita rei veritate nihilominus dedisset, ibi: « Considerantes quoque, quod Nos exposito nobis de potestate prædicta, nihilominus litteras gratiosas daremus. » Accedit textus in cap. ult. de *Fili presbyt.* in 6, ubi pro ostendenda invaliditate cujuspiam rescripti, seu dispensationis tacito quodam defectu, veluti per subreptionem obtentæ, redditur ratio illa, quod cognita rerum veritate, atque expresso ejusmodi defectu, Sedes apostolica verisimiliter non dispensasset; ergo, argumento a sensu contrario desumpto, valet dispensatio, vel alia dispositio quam princeps, cognita rei veritate, nihilominus dedisset; prout fit, quoties taciturnitas veri concernit dumtaxat causam impulsivam. Idem probant rationes pro altera parte conclusionis illico adducendæ: et quidem

186. *Sive per narrationem falsi.* — Altera

pars, loquens de subreptione, quæ fit circa causam impulsivam ex narratione falsi, probatur imprimis per jura proxime allata: nam eadem ferme est ratio subreptionis, quæ fit per narrationem falsi, et quæ per taciturnitatem veri, ut dictum n. 155. Idem desumitur ex l. *Si mulier, c. de Jure dotium*, ubi defectus causæ impulsivæ non impedit jus agendi. Et L. I, § *Sextum, ff. de Postuland.* juncta Glossa ibid. §. *Causam*, et doctoribus, inde passim inferentibus cum Abbate in c. *Post translationem*, n. 17, de *Renuntiat*, quod cessante dumtaxat causa impulsiva non cesset effectus, sive dispositio.

187. *Confirmatur hoc utrumque ratione.* — Confirmatur conclusio quoad utramque partem simul ratione: quia subreptio, quæ fit tantummodo circa causam impulsivam, sive tacendo verum, sive falsum suggerendo, non tollit voluntarium ex parte principis, seu Papæ concedentis rescriptum; ergo ipsa non obstante rescriptum est validum. Antecedens patet ex natura causæ impulsivæ: nam hac etiam remota, adhuc concederetur rescriptum, etsi non tam faciliter et cito. Consequentia probatur: quia ad validitatem rescripti sufficit potestas, et voluntas ex parte principis concedentis, c. *Cum super*, 23. de *Offic. delegat.*

188. *Quid, si pro impetratione rescripti, vel dispensationis, plures allegantur causæ motivæ, et una earum est falsa?* — Et ex dictis deducitur responsio ad illum casum, quo plures pro impetratione rescripti, vel dispensationis cujuspiam, allegantur causæ finales, sive motivæ (hoc est, tales, quarum quælibet ex se est sufficiens ad impetrandum rescriptum, atque ob ipsam solam juxta stylum curiæ rescriptum, vel dispensatio impertiri solet) et tamen una dumtaxat est vera, altera falsa. Dicendum quippe est, hujusmodi rescriptum, ac dispensationem fore validam; prout inter alios notat Gobat, tract. IX *Theolog. experimental.* n. 614 et 633; tum quia, ut habet regula 37 juris in 6. « Utile non debet per inutile vitari: » ergo etiam in proposito causa vera, atque ex se sufficiens, non vitatur per admixtionem alterius causæ falsæ; tum quia in tali casu causa falso allegata, vel amplius non subsistens, potius censetur esse impulsiva, seu juvenans ad citius faciliusque impetrandum, non vero ad simpliciter obtinendum; eo quod ista etiam non allegata, adhuc ob alteram causam vere subsistentem, rescri-

ptum, sive dispensatio concederetur. Unde in simili, quando in ordine ad certum effectum consequendum plura mandantur, sufficit alteram eorum probare, vel facere, quando istud per se sufficit ad ejusmodi effectum, c. *Ex parte*. 2. juncta Glossa γ . *Et perpetuo*, h. t. Verum majoris claritatis causa contra præmissa

189. *Solvuntur objectiones. In quocumque rescripto subintelligitur clausula, « Si preces veritate nitantur, » quomodo? — Objectiones I. In quocumque rescripto subintelligitur clausula illa, « Si preces veritate nitantur; » ergo narratio falsi, etiam quoad causam impulsivam, vitiat rescriptum, ac mendax preceptor carere debet penitus impetratis, per jura, n. 161, allegata. Resp. neg. consequent. Nam jura allegata procedunt, quando contingit subreptio, sive falsitas in substantialibus; hoc est, in illis, ex quibus dependet voluntas principis concedentis rescriptum: adeo videlicet, ut alioquin cognita rei veritate princeps, seu Papa, verisimiliter, vel nullo modo, vel saltem non tam absolute, ac nonnisi adhibitis certis moderationibus, petitum rescriptum, sive dispensationem fuisset concessurus; prout accidit in causa motiva, primaria, sive finali. Secus est in subreptione, quæ contingit circa non substantialia; hoc est, ea, quibus rite intellectis princeps nihilominus petitum rescriptum verisimiliter concessisset, quamvis non tam facile et cito (hoc enim per accidens se habet) ut fit in causa impulsiva, sive secundaria dumtaxat, per jura, et rationes jam allegatas, quibus jura contraria recte distinguuntur, et concordantur.*

190. *Causa impulsiva movet ad concedendum effectum; quomodo? —* Nec obstat, quod etiam causa impulsiva moveat ad concedendum ejusmodi rescriptum, etc. Quia movet tunc, seu potius impellit, ad citius vel facilius dandum id, quod cæteroquin cognita omnimoda rei veritate princeps dedisset; non tamen movet ad simpliciter dandum.

191. « Qui cito dat, bis dat, » qua ratione? — Neque dicas. Qui cum majori difficultate daret, non censetur dare: nam qui cito dat, bis dat; ergo, si cognita subreptione causæ impulsivæ, atque omnimoda rei veritate, Papa difficiliter daret rescriptum (forsan etiam nonnisi sub certis limitationibus concedendum) non censetur illud esse daturus. Resp. enim, neg. antecedens, cum sua probatione: nam qui tardius, aut difficiliter dat,

non dat aliquid minus quoad rem, sed solum quoad modum dandi, ac ponderationem beneficii, in ea dationis facilitate et celeritate exhibiti, ratione cujus procedit dictum illud: « Qui cito dat, bis dat. » Dum autem subjungitur, vel potius supponitur, quod alioquin rescriptum forsitan nonnisi sub certis limitationibus fuisset concedendum; id prorsus est negandum, veluti suppositum seipsum destruens: alioquin enim ejusmodi causa non amplius foret impulsiva, et secundaria solum, sed motiva, et finalis, utpote sine qua rescriptum non eodem pacto, sed quibusdam dumtaxat restrictionibus adhibitis concederetur. Ccvarruvias, loc. cit. num. 5, et Sanchez, numer. 32.

192. *Taciturnitas beneficii ecclesiastici præhabiti, quantumvis modici, cur vitiet rescriptum ad beneficium novum obtinendum? — Objectiones II. Taciturnitas beneficii ecclesiastici præhabiti, quantumvis modici, vitiat rescriptum ad beneficium novum obtinendum, c. Si motu proprio, 23. de Præbend. in 6. cum concordantiis, et tamen cognita rei veritate Pontifex concederet secundum beneficium, ne alioquin clericus inops ob tenuitatem reddituum prioris beneficii mendicare cogatur; ergo. Resp. neg. consequent. Nam, quod taciturnitas beneficii quantumvis modici vitiet rescriptum, id non provenit ex eo, quod subreptio causæ impulsivæ solet vitiare rescriptum; sed quia tunc tacetur talis aliqua qualitas et circumstantia, quæ de jure communi, ac stylo curiæ Romanæ specialiter ac necessario est exprimenda, prout supra n. 167, ex Fagnano in c. *Super litteris*, n. 58, h. t. et aliis, jam dictum est.*

193. *Collatio beneficii a legato apostolico facta non valet, nisi facta sit mentio de præhabito beneficio: secus dicendum in inferioribus collatoribus; et quæ ratio differentie? —* Confirmatur hæc responsio ex Clem. ult. de *Offic. ordinariar.* ubi expresse decem habetur, quod etiam collatio beneficii, a legato Sedis apostolicæ impetrata tacito priore beneficio, sit nulla: secus tamen sit dicendum in aliis quibusvis ordinariis collatoribus; ac proinde valeat collatio beneficii ab his obtenta, etiam non facta mentione de alio præhabito beneficio, dummodo nihil aliud obstat. Hoc quippe dici non posset, si in priori casu, seu respectu legati, nullitas collationis ab eo factæ proveniret ex defectu causæ impulsivæ: nam par defectus pariter in posteriori casu illam annullaret. Igitur, quod

taciturnitas beneficii quantumvis modici vitiet rescriptum pontificium, imo et collationem beneficii a legato factam, nonnisi ex eo provenit, quia tacetur qualitas de jure communi, ac stylo curiæ necessario exprimenda. Cur autem ejusmodi qualitas necessario in dictis duobus casibus sit exprimenda, non item in collationem beneficii per inferiorem collatorem facta, rationem differentie assignat Abbas in cit. Clem. ult. numer. 6, de *Offic. ordinariar.* et Pirhing, eod. tit. n. 66, quia nimirum inferior ordinarius collator ad suam præsentiam, et cum altero conversationem, præsumitur habere scientiam de præhabito jam per illum beneficio, ac nihilominus secundum velle ipsi conferre; sicque non censetur intervenire subreptio, ac proinde tenet facta collatio. Secus dicendum de Papa, ejusque legato: nam uterque ob suam absentiam, ac multitudinem negotiorum, præsumitur habere ignorantiam de beneficio prius obtento; ac proinde istud, quantumvis modicum, jubetur exprimi: alioquin ipso tacito committitur subreptio, vitians rescriptum, et factam ab ipsis collationem alterius beneficii.

194. *Quoties in rescripto exprimitur unica causa, ea censetur esse motiva. —* Quæritur III. Unde cognosci possit, quod princeps verisimiliter, cognita rei veritate, rescriptum fuisset concessurus; adeoque subreptio contingat solummodo circa causam impulsivam ac secundariam et non circa motivam et primariam? Resp. I. Quoties in rescripto, ac præsertim in litteris dispensationis, exprimitur unica causa, dicendum est eam esse causam motivam, finalem seu primariam. Ita Abbas in c. *Quia circa*, n. 6, de *Consang. et affinit.* id probans ex c. *Postulasti*, h. t. ac novissime tradit Gobat, tract. IX *Theolog. experimental.* n. 614, citans alios; idemque loquendo de causa, quæ inseritur a lege, tenet Menochius, consil. 270, n. 57, post Baldum, Oltradum, Tiraquellum, et alios. Ratio est, quia princeps, sive Papa, non solet absque omni causa rescriptum concedere, et multo minus cum aliquo dispensare: ergo, quando allegatur unica causa, recte ipsa censetur esse motiva. Quinimo tunc locum habebit illud vulgatum axioma: « Ratio legis est anima legis, » sive dispositionis, can. *Consuetudo*, dist. 1. estque dictum, tit. præc. § 16, n. 388.

195. *Quænam ex pluribus causis allegatis censenda sit esse motiva, et quæ solum impul-*

siva, unde desumendum? — Resp. II. Quænam ex pluribus allegatis causis censenda sit causa motiva, et principalis, et quæ solummodo impulsiva, id imprimis desumendum est ex stylo curiæ Romanæ; et quando de eo non constat, hoc ipsum arbitrio viri prudentis, seu judicis, relinquitur discernendum, qui id dijudicabit attento jure communi, et consuetudine cæteroquin in similibus observari solita, atque pensatis aliis circumstantiis, ex quibus verisimiliter conjecturari potest de voluntate concedentis. Ita Abbas in c. *Ex conquestione*, n. 4, de *Restitut. spoliat.*; Felinus, in c. *Super litteris*, n. 8, h. t.; Menochius, de *Arbitrar. judic.* lib. II, cas. 201, n. 24 et seqq.; Sanchez, lib. VIII, de *Matrim.*, disp. 24, n. 19, et alii. Idque desumitur ex l. *Non possunt*, 11, et l. *Nam ut ait*, 42. ff. de *Legib.*, cum concordantiis.

196. *Si omnibus mature consideratis adhuc remanet dubium, an causa sit motiva, vel potius impulsiva, præsumitur eam esse dumtaxat impulsivam. Verba sunt sic intelligenda, ut res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat. —* Resp. III. Quando concurrentibus diversis hinc inde motivis, ac præmissis omnibus mature consideratis, adhuc dubium remanet, an causa subreptitiæ allegata, sit motiva, et finalis, ita ut sine ipsa rescriptum non concederetur, vel potius impulsiva: probabilius videtur esse præsumendum, quod sit impulsiva dumtaxat, sicque rescriptum valeat. Ita Glossa fin. in l. 2. de *Donationib.*; Dynus in *Reg. decret.* n. 6. de *Reg. jur.* in 6. et Sanchez, cit. disp. 24, n. 20. citans alios, quamvis non pauci oppositum teneant. Ratio fundamentalis est, quia, quantum possumus, debemus stare pro valore actus, idque ob præsumptionem juris; ergo, ubi pensatis omnibus circumstantiis adhuc remanet dubium, oportet præsumere causam esse dumtaxat impulsivam, sicque rescriptum existere validum. Antecedens patet ex c. *Abbate*, 25. § *Contra de Verb. signif.* ibi: « Profecto sic intelligenda sunt verba, ut res de qua agitur, valere possit potius, quam perire. » Concordat textus in l. *Quoties in actionibus*, ff. de *Rebus dubiis*, ibi: « Quoties ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quod res qua agitur, magis valeat, quam pereat, » cum concordantiis. Quidni igitur hoc ipsum fit in casu proposito, ac stante tam gravi dubio, an causa sit motiva, vel potius impulsiva? Hinc a simili in l. *Cum*